



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,
Et Vitiis Contrariis, In ...**

Continet Tractatum Serie Vigesimo-Octavo De Matrimoniis, &
Sponsalibus, cum Indicibus necessariis

Castro Palao, Fernando de

Lugduni, 1669

Qualiter facto diuortio propria autoritate, vel per sententiam se gerere
possit innocens. §. 6.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76659)

- 3 Si civiliter procedat coniux ad diuortium, litem coram Ecclesiastico intentare debet.
- 4 Intentata a civili actione nequit coniux ad criminalem transire, vel e contra.
- 5 Pendente lite siue criminali, siue civili alimenta, & lites expensae uxori ministranda sunt.
- 6 Si uxor legitime accusata falsis probationibus se defendat, solam obligata est restituere marito expensas lites.
- 7 Obligatus videtur maritus dotem uxori in hac parte restituere. Quidquid alij contra sentiant.

Dplex actio coniugi innocenti conceditur aduersus coniugem adulterum ciuili, & criminalis. Ciuili est, quae ad separationem thori, mutuaeque habitationis, & amissionem dotis tendit, criminalis, quae ad poenam sanguinis procedit. Haec autem criminalis actio solum competit marito aduersus uxorem, non e contra, ut expressè dicitur in leg. 1. Cod. ad leg. Iul. de adulteris. Et leg. regia 3. tit. 20. lib. 3. noua recopilat. ideoque accusanti criminaliter marito uxorem de adulterio, non licet vxori exceptionem adulterij mariti opponere, quia in hac actioe pares non sunt, neque in illis delictis quoad praedictam poenam admittitur compensatio. Actio ciuili vtrique coniugi competit, & vnius delictum alterius delicto compensatur.

Sigitur maritus ad poenam sanguinis uxorem accuset, necessario actionem intentare debet coram Iudice saeculari quia solus ille est competens ad poenam sanguinis imponendam, ut deciditur cap. sententiam sanguinis, Ne Clerici, vel Monachi. Et cap. tua de procuratorib. Et ibi Panormit. num. 6. Immola num. 10. At si ad alias poenas infligendas acculer adulter coram saeculari, vel Ecclesiastico Iudice actio intentari potest, quia vterque Iudex competens est, locumque datur praerogationi. Quippe adulterium est iniuria Sacramento matrimonij facta, cuius poenitio vtrique Iudici saeculari, & Ecclesiastico competit, sicuti optime tradit Panormit. dicto cap. tua num. 6. Couaruu. 4. decret. 2. part. cap. 7. §. 7. num. 20. Iulius Clarus lib. 5. recept. §. fin. quae 37. n. 3. Anastas. Germon. lib. 3. de sacrorum immunit. cap. 12. num. 56. Barbosa 2. part. 1. in princ. num. 139. ff. soluto matrimonio, quos refert, & sequitur Sanch. lib. 10. disp. 8. num. 16.

At si civiliter procedat coniux ad diuortium, amissionemque dotis, necessario coram Iudice Ecclesiastico actionem intentare debet. Nam cum agatur de obligatione matrimonij dissoluenda, solus Iudex Ecclesiasticus competens est, sicut colligitur ex cap. tua de procurator. & cap. 1. ut lite non contestata. Et tradit Iulius Clarus, & Anastas. Germonius ubi supra. Couaruu. dicto capite 7. §. 6. numero 8. Anton. Gomez leg. 80. Tauri numero 47. Grassus 1. part. decis. lib. 2. cap. 84. numero 12. & alijs relatis Sanch. lib. 10. disputat. 8. numero 15.

Intentata autem ciuili actione nequit coniux ad criminalem transire, non solum quando pendet vnius actionis iudicium, ut deciditur expressè in leg. unica. Cod. quando ciuili actio criminali praedicitur, sed etiam eo iudicio finito, eo quod in hac causa diuortij vtriusque iudicium ad idem tendit, scilicet ad punitionem adulterij, vel priuando illum potestate exigendi debitum, dotisque amissionem, vel poenam mortis imponendo. Quo casu vna actio alteri praedicitur, ut notat Glossa in supra dicta leg. unica, verbo de re familiaris. Et Abbas cap. tua num. 1. de procuratorib. Barbosa leg. 2. part. 1. in princ. num. 138. Et sequit. ff. soluto matrimonio. Sanch. lib. 10. disp. 8. n. 19. vbi num. 20. optime probat neque etiam per exceptionem licere marito, qui prius de adulterio uxorem accusauit, & desistit, vel victus fuit obliuere adulterium vxori eius consortis, bonaque dotalia repetenti, deducere namque alia via in iudicium, quod iudicatum est vel iudicandum pendet contra leg. duobus 19. ff. de except. rei iudicatae.

Pendente lite siue criminali, siue ciuili alimenta, & lites expensae vxori ministrandae sunt, non solum quando ipsa diuortium aduersus virum ob adulterium ab eo commissum intentaret, quod certissimum esse rectè tradunt Gutier. lib. 1. cap. cap. 24. numero 7. Barbosa Rab. ff. soluto matrim. 2. part. numero 44. in fine. Sanch. d. disp. 8. num. 28. sed etiam quando aduersus illam diuortium a viro intentaretur, quia lite pendente nihil est innouandum, quod procedit etiam si adulterium notorium sit, ut aduerunt Zenallos in suis quest. comm. quae 734. num. 18. Et sequit. Farinac. t. 4. quae 143. num. 43. Gutier. cap. 129. n. 20. Sanch. loco allegato, tamen si in foro conscientiae ad ea alimenta, & expensas subministrandas non teneatur vir certus de vxoris adulterio, ut tradunt Sanch. Gutier. & Farinac. nuper allegati. Quinimo neque in foro externo tenetur vir subministrare alimenta vxori e domo sua fugienti ob irorem, quem habet esse a viro male tradendam causa adulterij suspecti, ut rectè Farinac. dicta disp. 143. num. 45. Gutier. cap. 129. de matrim. num. 21. Quippe vir non tenetur extra domum uxorem alere, quando ipse causam recessus non dedit.

Quod si vxor legitime de adulterio accusata falsis se probationibus defendat, impediaturque diuortium, & applicationem suorum bonorum marito, verius est solum committere peccatum in hac falsitate, obligatamque esse restituere marito expensas lites, & si quid aliud damnatum ex illius prosecutione incurrit, siquidem ad impediendum diuortium, & applicationem suorum bonorum marito nullum ius habet, at nullam obligationem habere restituendi marito bona quae per sententiam illi essent applicanda. Quippe ad proprietatem illorum bonorum nullum habet ius nisi media sententia, quae esto iniuste impediatur, ea iniustitia non est adulterij maritus, sed aduersus Rempublicam, publicumque iudicium, quod peruenit, sicuti docuit Nauarr. cap. 18. num. 49. Grassus 1. part. decis. lib. 3. cap. 7. numero 25. Medina lib. 1. summ. capite 14. §. 35. Ludouic. Lopez 1. part. instruct. cap. 159. §. de Nauarrus. & alij, quos refert, & sequitur Sanch. lib. 10. disputat. 8. num. 14.

Ex his inferendum videtur obligatum esse maritum dotem vxoris restituere, a qua se separauit ob adulterium commissum, siquidem vxor dotem perdere non potest, quousque per sententiam ad illius priuationem damnata sit, ut pluribus firmat Couaruu. 4. decret. 2. part. cap. 7. §. 6. num. 1. est enim dotis amissio poena adulterij lata in cap. plerumque, de dmar. inter virum, & vxor. leg. consensu. §. 1. Cod. de repudiij. Leg. unica. §. accet. Cod. de rei vxoria actione. Leg. miles §. facer. ff. ad leg. Iul. de adulteris. At reus poenam subire non tenetur, quousque sententia saltem declaratoria criminis accedat, ut latè probanimus tract. de legibus, ubi de lege penali. Ergo vxor dotem amittere non tenetur ante sententiam, ac proinde maritus videtur obligatus ei dotem restituere. Contrarium defendit Sanch. lib. 10. disp. 9. num. 13. ea motus ratione, cui competit exceptio, ne aliquid soluere alitringatur habet ius retinendi tam in foro conscientiae, quam externo, ut probauit lib. 6. disp. 38. num. 34. at maritus ob adulterium vxoris ab ea recedens habet ius excipiendi contra vxorem repetentem dotem opponens ipsi adulterium, ratione cuius liberatur a dotis solutione, ergo potest dotem ipsam retinere. Et confirmat ex Textu in cap. plerumque de donationib. inter vir. & vxor. ubi vxor recedens a viro ob causam fornicationis iudicio Ecclesiasticae, aut propria voluntate, nec reconciliata postea sit, eisdem dotem, vel dotalium repetere non valet. Si igitur repetere non valet dotem, ergo maritus illam retinere poterit. Sed haec rationes non conuincunt. Fateor namque retinere quemlibet posse omne illud, pro quo ipso iure habet exceptionem ne soluat; at adulterium non excipit ipso iure a solutione dotis, neque ipso iure dotem marito concedit, sed media sententia, ergo quousque sententia adueniat non habet maritus ius dotis retinendae. Quod verò adulterae denegatur iudicialis repetitio dotis non inde inferitur maritum illam retinere ante sententiam posse, sicuti non inferitur marito acquiri, sed solum inferitur vxorem in foro externo nullum ius habere, ut sibi dos concedatur, cum potius commissio adulterio veniat dote priuanda. Atque ita verius est ius marito propria autoritate ab vxore adulterae recedentem non posse ante sententiam eius decem retinere, tamen si vxori dotem repetenti exceptionem adulterij opponere possit, ne illi concedatur, sed potius sibi applicetur, ut bene tradit Abbas dicto capite plerumque numero 4. Angelus, verbo Adulterium num. 6. Syluest. quae 6. Rosella, verbo Diuortium num. 4.

§. VI.

Qualiter factio diuortio propria autoritate, vel per sententiam se gerere possit innocens?

- 1 Potest innocens vxori reconciliari, etsi non obligetur.
- 2 Satisfit obiectioni.
- 3 Potest coniux innocens sacros Ordines sumere, vel Religionem ingredi.
- 4 Non tenetur maritus vxori adultera alimenta praebere.
- 5 Proponuntur duae quaestiones.
- 6 Si sententia diuortij nulla fuit, restituenda sunt omnia vxori.
- 7 Procedit etiam si Sacris sit initiatus.
- 8 Si vterque coniux credens diuortium legitime esse factum statum mutauerit, vterque potest alterum repetere, etsi Sanch. contrarium censet.
- 9 Si innocens in adulterium incidat, antequam sententia transierit in rem iudicatam, obligatus est coniugi reconciliari.
- 10 Si adulterium commissum sit, postquam sententia diuortij transit in rem iudicatam, plures censent non esse obligatum reconciliari in foro conscientiae, bene tamen ex officio Iudicis.
- 11 Verius est in foro conscientiae, & ad petitionem partis esse reconciliandum.
- 12 Satisfit fundamentis oppositis.

- 13 Si post hanc sententiam innocens sacros Ordines suscepit, vel Religionem professus est, non est restituendus.
- 14 Examinatur, an factio diuortio teneatur vir in adulterium incidens dotem uxori reddere.
- 15 Quid si ante latam sententiam conueniat vir cum uxore adultera de lucranda dote.

Certum est diuertentem iuste ab uxore adultera, & rebus in eodem statu permanentibus esse possit uxori reconciliari, nullam tamen habere obligationem, tamen si vxor emendata sit; quia adulterium est causa perpetui diuortij, sicuti tradit Durand. in 4. dist. 35. quest. 2. Bonavent. eodem dist. art. 1. quest. 5. Paludan. quest. 2. art. 2. Maior. quest. 1. prope s. nem. Gab. quest. 1. art. 1. concl. 7. Soto dist. 39. quest. unica art. 3. Basil. Ponce, lib. 9. cap. 19. numero 6. Layman. libro 1. summ. tractat. 10. 3. part. cap. 19. num. 16. & ser. omnes Doctores.

Neque contrarium probatur ex cap. ego dixi 34. quest. 1. & 2. ubi inquit Textus: Si vir non receperit suam uxorem iam penitentem peccat, & magnum peccatum admittit, quia id intelligendum est, quando ex indignatione, & odio non dimittit, non vero quando eam non admittit, ut iure diuortij vtetur; vel dic peccare si timeat incontinentiam periculum vxoris eam repellendo. cui tamen periculo absque graui incommodo subuenire possit. Neque item obstat Textus in cap. quod autem. 32. quest. 1. dicens: Nunc autem postquam Christus ait adultera, Neque ego te condemnabo: quis non intelligat debere maritum ignoscere, quod videt ignouisse Domini amorum. Et cap. si vir de adulteris. dicitur: Quod si mulier dimissa egerit penitentiam, & voluerit ad virum suum reuerti debet; sed non sepe recipere peccatorem. Notandum est verbum debet, quod videtur obligationem indicare, sed actus dicitur, si explicemus verbum debet, indicare obligationem debiti ex honestate, & aequitate, non ex lege, & precepto.

Secundum est certum posse coniugem innocentem, neque nocenti reconciliatum Ordines sacros assumere, vel Religionem ingredi, si diuortium per sententiam Iudicis celebratum sit, constat ex cap. Agathose 27. quest. 2. & ex cap. constitutus. Cap. veniens de conu. coniugat. Et ratio est manifesta, quia ob adulterium commissum ius exigendi debitum, mutuaque cohabitationem adulter amisit, ac proinde innocens ab omni coniugali debito liber est; nihil ergo impedit, quin Religionem ingrediatur, vel Ordines sacros assumat; & idem est veli solum simplex castitatis votum emittere. Atque ita tradit D. Thom. ab omnibus receptus in 4. dist. 35. quest. vn. art. 5. ad 3. At si ex adulterio occulto recepti fuerit, validè inuito nocente Ordines assumat, vel Religionem proficiatur, illicitè tamen id præstat, quia potest à nocente petente restitutionem reuocari, quod in graue Religionis, & Ordinis assumpti detrimentum cedit, & in proximum non leue scandalum. Quinimò esto adulterium notorium sit, si tamen sententia iudicialis non accessit, credo graue peccatum committere qui sacros Ordines, vel Religionem profiteretur adultero inuito, eo quod sub opinione positum sit ante sententiam latam diuortij coniugem spoliatum, etiam si ex causa notoria spoliatus sit, esse restituendum, vt optimè tradit Sanch. lib. 10. de matrim. disputat. 11. à numero 12. & seqq.

Tertio est plures Doctores, quorum meminit Sanch. lib. 10. disput. 8. à num. 23. satis probabiliter censent obligatum esse maritum alimenta vxori adulteræ præbere, eo quod per diuortium non desinat esse vxor, maxime si ipse maritus occasionem adulterij dederit eam è domo expellens, vel crudeliter tractans, verius tamen est nullam marito innocentem subesse obligationem, quia ob adulterium ab omni debito coniugali solutus est, vt multis comprobatur Sanch. d. dist. 8. num. 25. & seqq. Farinac. t. 4. quest. 143. num. 41. Gutierri. cap. 129. num. 23.

Quocirca controuersia in eo sita est. An si coniux innocens deprehendat sententiam diuortij fuisse ex falsa præsumptione latam, eo quod testes de adulterio deponentes decepti sint, vel ipse ante sententiam adulterium commiserit, teneatur vxori spoliata reconciliari, eique dotem aliaque bona reddere, ac si sententia lata non esset; & similiter vertitur questio, an eandem reconciliandum teneatur præstare, si post sententiam latam adulterium committat.

Circa primum casum fatentur omnes Doctores reconciliacionem faciendam esse, eo quod illa sententia nulla fuerit, neque transire possit in rem iudicatam; cum æquè vtique coniux innocens sit, vel nocens. Quapropter spoliatus si de nullitate sententiæ aliunde constaret nullo petito beneficio restitutionis, posset aduersus illam reclamare, & iudex annuere deberet. Quod si de errore sententiæ aliunde non constaret petito beneficio restitutionis ex clausula generali si qua mihi iusta causa subest leg. 1. §. fin. ff. ex quibus causis maior. Quod beneficium necessariò concedendum est, vt pluribus firmat Gutierri. de iuram. 3. part. cap. 7. numer. 8. Zueallos Ferd. de Castro. Sum. Mor. Part. V.

in suis qq. practiciis, quest. 542. num. 3. probabit ex nouis actibus falsitatem, cui prædicta sententia adhæsit: qua facta probatione reuocanda sententia est, & spoliatus per omnia restituendus.

Quod ad id verum est, vt esse is in cuius fauorem diuortium celebratum est Sacrisque initiatus, vel professionem fecerit, adhuc cogendus est cum coniuge spoliato habitare, quia illa status mutatio obstat non potest iuri spoliato quæsitus, vt ex communi sententia tradit D. Thom. in 4. d. 35. quest. unica art. 5. ad 3. Syluest. verbo Diuortium quest. 2. r. num. 24. Sotus in 4. d. 36. quest. vnica art. 5. ad 3. Graffus 2. part. decif. lib. 1. cap. 12. num. 62. Sanch. lib. 10. dist. 9. num. 9. Basil. Ponce, lib. 9. cap. 20. num. 2. Quinimò esto à coniuge spoliato non repetatur, potest ipse secluso scandalo Religionem deserere, vt potè cuius professio nulla fuit, eo quod strictus erat coniugali debito iuxta Textum in cap. quidam cap. veniens de conu. coniugat. Cap. sunt qui dicant. Cap. Agathose 27. quest. 2. Et tradit alius relatis Sanch. d. dist. 9. num. 10. Basil. Ponce, cap. 20. n. 2. Cui non obstat decretum Conc. T. id. sess. 2. de regularib. cap. 19. damnans tanquam apostatas eos, qui quacunque ex causa habitum dimittunt, quia id intelligendum est de his qui sponte habitum dimiserint, secus de his qui ex obligatione, qualis est coniugatus qui ex obligatione coniugij diuortij vt bene notauit Basil. Ponce loco citato.

Verum si vtique coniux credens diuortium legitime esse factum statum mutauerit, existimat Sanch. d. dist. 9. num. 23. neutrum posse alterum repetere, quia ille in cuius fauorem diuortium factum est Religionem ingrediens, vel Ordinem sacrum assumens cessit quantum in se tuit iuri debitum exigendi, qua cessione facta alius Religionem ingrediens nullam ei irrogat iniuriam, ac proinde ingressus tenet. Sed verius est neutrum professionem valere, & quemlibet repetere alterum posse, nam spoliantis professio vt potè facta absque legitimo spoliati consensu eandem nullitatem habet, ac si sententia diuortij lata non esset, siquidem illa sententia, vt supponimus, nulla fuit. Et ob eandem rationem professio spoliati nulla est, quia est facta in præiudicium spoliantis integrum coniugale ius retinens, cui ex errore cessit, ideòque nec cedere potuit. Atque ita docent expressè Alterius lib. 8. num. 2. p. tit. 34. art. 2. quest. 5. Rosella verbo Diuortium, num. 2. huiusque sententiæ sunt omnes Doctores, qui indistinctè asserunt professionem spoliantis esse nullam, nulla restrictione facta, an vtique statum mutauerit.

Quoad secundum casum, quando post sententiam innocens in adulterium incidit. Grauior est dubitatio. Et quidem si adulterium commissum sit, antequam sententia transierat in rem iudicatam, eo quod elapsum non sit appellacionis tempus, vel lata sit aduersus minorem, qui beneficio restitutionis vti potest, absque dubio obligatus est coniugi dimisso reconciliari, neque potest etiam occultissimum sit adulterium proficisci diuortium, quia æquè reus est, & delicta compensata sunt sicuti notauit Basil. Ponce, lib. 9. cap. 20. n. 3. Sanch. lib. 10. dist. 9. num. 30. in fine.

At si adulterium commissum sit postquam sententia diuortij transit in rem iudicatam; graues Theologi, & Canonistæ sentiunt adulterium dimissum non posse dimittentem repetere, neque dimittentem obligatum esse in foro conscientie dimisso reconciliari, esse tamen ex officio Iudicis reconciliandos; si periculum incontinentiæ subsit, sicuti tradit D. Thom. in 4. dist. 35. quest. vn. art. 6. ad 4. Et ibi Durand. quest. 2. art. 2. Sotus dist. 36. quest. unica art. 6. ad 3. Henric. lib. 1. cap. 17. num. 3. Et alij plures, quos refert, & sequitur Sanch. lib. 10. disputat. 9. num. 30. & seqq. Layman. lib. 5. summ. tractat. 10. 3. part. cap. 7. num. 14.

Probat Sanch. priorem partem suæ sententiæ. Primò quia quod semel bene definitum minimè retractandum est cap. quod bene 6. quest. 4. Secundò quia seruitus semel amissa non renascitur, cap. quaris de consecrat. dist. 4. leg. Sicutum §. arcam ff. de solutiomb. at seruitus coniugis innocenti amittitur latà diuortij sententià, ergo postmodum adulterante non renascitur. Tertio est adulterij exceptio alio adulterio extinguatur, at exceptio rei iudicatæ aboliri non potest adulterio post sententiam admisso. Quarto diuortij sententia absoluit innocentem à debito coniugali Societatis, ita vt fornicans postea non censetur adulter comparatione coniugis dimissi, sed in ordine ad Deum ob vinculum matrimonij perseverans, sicuti non censetur coniux iniuriam facere ei, qui suo adulterio coniuget, cessante verò iniuria cessat causa diuortij. Quinò sententia diuortij non fertur sub conditione aliqua in fauorem rei, nimirum si innocens se contineret, sed comparatione illius absoluta est, transiitque in rem iudicatam. Si ergo innocentem à coniugali seruitute absolute liberem, non poterit adulterium ad eam seruitutem reuocare, maxime cum id iure cautum non inueniatur, & omnia iura clamet sententiam ritè latam reuocari non posse. Secundam partem scilicet posse Iudicem ex officio compellere prædictum coniugem innocentem postea nocente, vt alteri aduersus quæ sententia diuortij lata est reconcilietur, probat Sanch. ex doctrina



Bart. in leg. 1. §. hoc autem iudicium num. 2. de damn. infecto, alferentis iudicem uti posse officio suo in publicam utilitatem, & miserabilium personarum. Præterquam quod adulterium superueniens præiudicat rei iudicatæ ob animæ periculum.

- 11 Nihilominus longè verius est non solum ex Iudicis officio, sed ad petitionem partis cogendum esse innocentem postmodum nocentem nocenti dimisso reconciliari, obligatoremque esse in conscientia hanc præstare reconciliatiorem quolibet volente: sic docuit Glossa in c. ex litteris de diuortio, verbo adiuuicem separati. D. Antonin. 3. part. tit. 1. cap. 21. §. 6. Paludan. in 4. dist. 35. quæst. 2. art. 2. Nauarr. lib. 4. consil. consil. 1. de diuort. in 2. edit. n. 2. Petri de Soto de matr. lect. 12. paulo ante finem. Grassi 2. p. decif. lib. 1. c. 12. num. 73. casu 3. Molina 1. 3. disp. 9. num. 5. Coninch. disp. 35. dub. 2. n. 13. Pafsi. l'once. lib. 9. c. 20. Et alij plures relati à Sanch. n. 6. lib. 10. disp. 9. n. 7. vbi hanc sententiam censet valde probabilem. Ratio autem videtur manifesta, quia sententia diuortij ob adulterium ab altero coniuge commissum non concedit innocenti ius ab eo diuertendi, sed ius quod ex adulterio acquisit declaratur, ut eo publice uti possit. At ius quod ex adulterio innocenti acquiritur est dum innocens est, ergo facti nocente cessat prædictum ius, ac proinde obligatus est reconciliari, sicuti obligaretur, si adulterium commisisset ante sententiam laram.
- 12 Neque argumenta in contrarium virgent. Ad primum concedo ritè definitum non esse retractandum ex illis causis, ex quibus definitum est; at si noua causa superueniat, retractari poterit, neque hæc dicenda est prioris sententiæ retractatio, sed nouæ causæ decisio. Eodem modo secundum argumentum solueandum est, admittimus namque seruitutem amissam non redire, nisi ex noua causa contrahatur, ut contingere potest in seruo manumisso, qui si iterum in bello iusto capiatur, iterum potest in eandem seruitutem redire. Cùm ergo post sententiam adulterium succedat, quo innocens nocens factus est, seruitus, & obligatio antiqua, à qua ob suam innocentiam, & alterius delictum exemptus erat redit, sicuti rediret, si denuo adulterio reconciliaretur; suum enim delictum vim habet reconciliatiõis, siquidem eo alterius delictum compensatur. Ad tertium concedo exceptionem rei iudicatæ semper nocenti obstat, ne possit in dubium reuocare sententiam laram, at ei nullo modo obstat, quin ob aliam causam denuo superuenientem litem intenteat, & nouam sententiam exigat. Ad quartum omnino negandum est sententiam diuortij impedire, quia adulterium postmodum commissum iniuriõis fit coniugij dimisso. Etenim sententia diuortij solum eximit innocentem à debiti redditione, & mutua habitatione, non tamen à debito, quo omnis coniugatus alstringitur ne aliis copuletur, aliàs sententia foueret crimina, ac proinde adulterium post sententiam commissum iniuriõis est coniugij dimisso. Poterit ergo illa iniuria iniuriam à se factam compensare. Ad quintum admitto sententiam laram diuortij in odium rei, & fauorem innocentis transire in rem iudicatam. Sed hoc intelligendum est rebus in eodem statu permanentibus, secus si innocens factus sit nocens. Quæ conditio tacitè in sententia diuortij imbibitur. Quippe iure naturali contractus matrimonij postulat ne innocens à nocente diuertat, nisi dum fuerit innocens, quam naturam sententia mutare non intendit.
- 13 Quod si post sententiam laram quæ transit in rem iudicatam innocens sacros Ordines suscipit, vel Religionem professus est, & factâ professione, vel sacris Ordinibus susceptis adulterium committat, nullatenus vxori reddendus est, quia ius quod Religio, & Ordo validè, & legitime suscepti acquisierunt, non potest proprio delicto infirmari, ut ritè notauit Coninch. disp. 35. dub. 2. num. 16. Bassil. Ponce. lib. 9. cap. 20. numero 7. Secus esset, si sacros Ordines, vel Religionem suscepisset, antequam sententia transiret in rem iudicatam, ut superius diximus: quia eo casu illegitimè Ordo, & religio suscipitur, ideòque coniugij non planè dimisso præiudicare nequit.
- 14 Ex his deciditur quæstio, an factò diuortio in fauorem vtri, qui postmodum adulterium commisit, teneatur dotem vxori reddere? Et quidem in postea sententia cùm matrimonium redintegretur nemini esse potest dubium dotem reddendam esse, sicque tanquam certum tradit Gregor. Lopez leg. 8. verbo esse misimo. tit. 2. part. 4. Barbosa leg. viro, atque vxore 40. num. 3. Solutio matrimonio. Mexia verb. taxa panis concl. 6. numero 63. Bassil. Ponce. lib. 9. cap. 20. in fine. At stante sententia Sanch. quæ coniugij dimisso repetitionem denegat coniugis dimittentis in adulterium lapsi, solumque Iudici concedit potestatem compellendi prædictos coniuges ad reconciliatiõem ob periculum incontinentiæ, dubium est, an ipse Iudex possit cogere virum, ut dotem vxori reddat? In quo dubio Sanch. negatiuam partem tueritur, eo quod instauratio matrimonij officio Iudicis ob periculum incontinentiæ vitandum, quod optime fieri potest, quin dos vxori reddatur. Verum esto ad vitandum incontinentiæ periculum non sit necessarium dotem vxori reddere, at in penam

delicti nouiter commissi, & ad coniugalem amorem fouendum posito quòd matrimonium instauratur, expediens est dotem vxori reddi. Si ergo ob vitandum incontinentiæ periculum potest Iudex ex officio compellere prædictos coniuges ad mutua cohabitationem, cur non poterit obligare ad dotem coniugij reddendam, ut ea mutua habitatio cum debito amore fiat.

Addit insuper Thom. Sanch. d. disput. 9. num. 37. Si ante laram sententiam conueniat vir cum vxore adultera de lucranda dote ob desistentiam ab accusatione criminali, si ipse postmodum in adulterium incidat, obligatum esse restituere dotem, quia ea delicta compensantur, prædictumque pactum tacitum imbibit conditionem, nisi delictorum compensatio fiat, non placet; nam esto ea delicta quoad accusationem ciuilem diuortij compensentur, quoad accusationem autem criminalem nullatenus admittunt compensationem, uti alio relatis tradit Cartera in sus. quæst. criminalib. q. tangentiõis punitionem delicti. cap. 4. num. 46. Zenedo collectan. iuris. collect. 166. num. 4. Non enim criminaliter accusare potest mulier virum adulterum, bene tamen vir adulter mulierem adulteram, uti habetur leg. 1. Cod. ad leg. Jul. de adulter. Et leg. regia. tit. 17. part. 7. Et leg. 1. 3. in fine tit. 9. part. 4. Et cap. apud mileria cordem §. publico iudicio. 32. quæst. 1. Neque accusata mulier de adulterio se tueri potest exceptione adulterij mariti, tamen publicum sit, ut alios referens docuit Couarua. 2. p. decret. cap. 7. §. 6. num. 5. Et consentit his omnibus Sanch. lib. 10. disp. puar. 8. à num. 33. & sequent. Si igitur vir pactum cum vxore iniit de dote, lucranda, eo quòd ab accusatione criminali desistat; cùm eandem accusationem criminalem commissio adulterio possit inhiuere, ac si adulterium non commississet, nequaquam censendum est pactum dissolui, sed integrum, & firmum perseverare, dotemque vxori accusatione criminali non factâ.

§. VII.

An latâ sententiâ diuortij teneatur coniug dimittens reconciliari innocenti, quando eum qui ipse velit, vel liberum sit illi Ordines suscipere, vel Religionem ingredi?

- 1 Per se obligatus est reconciliari, nec statum mutare potest.
- 2 Hac obligatio non mutandi statum permanet dum subest repetitio reconciliatiõis.
- 3 Aliquando & per accidens excusatur nocens reconciliari innocenti.
- 4 Ingresso in Religionem adulter, vel innocente, non tenetur aliter Religionem ingredi.

ET si plures Doctores, quorum meminit Sanch. lib. 10. disp. 10. num. 2. & 10. existimant neque improbabiler, non esse obligatum coniugem adulterum reconciliari innocenti acceptanti diuortij sententiam, sed posse coniugem innocente in consulto, imò iniuito de suo statu disponere Religionem ingrediendo, vel sacros Ordines suscipiendo, aut votum castitatis emittendo, quia sententia diuortij est in fauorem innocentis feratur, quatenus ei concedit optionem diuertendi à coniuge nocente, aut ei se reconciliandi, at indirectè eedit in fauorem nocentis. Nam eo ipso quo innocens eligit diuortium, nocens excusatur à debito coniugali, quo illi restrictus erat. Quippe eâ electione remisit mutua illius societatem. Longè tamen verius est per se obligatum esse coniugem adulterum innocenti reconciliari, neque posse castitatem integrè vouere, Ordinemve factum assumere, aut Religionem ingredi, dum spes subest reconciliatiõis, sicuti docent ex Iurisperitis Glossæ. in cap. ex litteris verbo rine de diuortio. Felin. in cap. lator declarat. 8. n. 9. de sentent. & re iudic. Syluest. verbo Diuortium, q. 10. Gregor. Lopez leg. 5. verbo de adulterio. tit. 10. part. 4. Barbosa Rub. ff. Solutio matrimonii 2. part. num. 22. in fine. Et leg. 2. part. 1. in princ. num. 100. in fine. Ex Theologis D. Thom. in 4. dist. 11. 35. quæst. unica art. 6. ad 3. & ibi Bonacens. art. com. quæst. 5. Durand. quæst. 2. art. 1. num. 6. Paludan. D. Antonin. 3. part. tit. 1. cap. 21. §. 6. vers. effectus accusationis. Abulen. c. 19. Matth. q. 7. Gr. ff. 1. p. decif. lib. 2. cap. 84. num. 14. Et 2. part. lib. 1. cap. 12. num. 66. Sanch. alios plures referens. lib. 10. disp. 10. num. 3. & seqq. Bassil. Ponce. lib. 9. cap. 20. num. 1. & seqq. Coninch. disp. 35. dub. 5. à num. 25. Layman. lib. 5. summ. tract. 10. 3. part. cap. 7. num. 14. Ratio ea est, quia sententia diuortij non plus iuris concedit innocenti, vel nocenti, quam quod iure ipso naturali eis competit ob adulterium commissum, est enim ut sæpè dictum est illius iuris declaratoria. At adulterium non eximit nocentem ab obligatione reddendi debitum, & cohabitandi cum innocente, si ipse velit; aliàs ex suo delicto commodum reportaret adulter, sed hanc exceptionem innocenti concedit, in recompensationem iniuriæ sibi factæ, & fidei violatæ. Ergo quando eumque